



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De sacra Philippi Burgundi. Cap. LXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

De sacramilitia PHILIPPI Burgundi.

CAP. LXX.

PHILIPPO primo successit Philippus Bo-^{xv. Lotha-}
 nus Burgundiæ & Brabantiaë Dux, qui an-^{ringia &}
 no c i o. c c c c. x x i x. instituit Senat^{Brabantiaë}
 dinis equestris, qui à donatione aurei velleris
 magnificum nomen accepit. Instituit autem
 hanc heroum societatem ad Catholicaë fidei
 defensionem. Vnde in eius Epitaphio legitur:
Tuta à nobilibus quo Ecclesia firmior esset,
Nobilis inuentus velleris ordo mihi est.

Et in alio Epitaphio:

Defensionis Ecclesie delegimus

Insigne vellus aureum nostro ordini.

Quantus autem fuerit eius zelus contra
 Turcas sub Nicolao v. & Calisto I I I. sum-
 mis Pontificibus, indicat epistola Æneæ Sil-^{Epist. I 27.}
 uij Senensis Episcopi anno c i o. c c c c. l i v.
 scripta. Vnus mihi videtur, ait, supra omnes
 commendandus Princeps Philippus Burgun-
 diaë Dux; qui etsi Britannico bello implica-
 tus, vocatus tamen ad conuentum, qui pro
 salute populi Christiani erat indictus, noluit
 excusari, noluit Reip. deesse. Congregatio-
 nem, quæ cõmune bonum tractare videba-
 tur, noluit sua præsentia esse priuatam. Venit
 igitur Ratisponam, iturumq. se contra Tur-
 eos in persona propria pollicitus est, si vel Cæ-
 sar, vel Rex Hungariaë, vel alius magnus Prin-
 ceps exercitum duceret. Sin minus, missu-
 rum

rum se quas posset copias. Neque in hisce rebus excusatum se habere voluit, nisi tale superueniret impedimentum quod tota Christianitas legitimum reputaret. Quis hunc satis commendare Principem posset? Nemo est inter Christianos cui minus timendi sunt Turci & infideles quàm Dux Burgundiæ: nemo tamen est qui pro depulsandis atque comprimendis hostibus fidei sollicitior eo reperitur. Vnde ista mens homini? Nō cupido rapiendi hunc trahit, cui opes sunt infinitæ. Non spes vlla voluptatum, quibus frui victores putant, qui iam æuo est prouectior. Et si delicias amat, nusquam maiores quàm domi reperiat. Non augendi dominij ratio, qui se nouit in Græcia aut Asia nequaquam regnare posse. Sed est hic religiosus Princeps, amat Ecclesiam matrem suam, cupit fidei nostræ consultum esse, dolet cum audit nomen Domini blasphemari, miseretur infelicibus animabus, quæ diutius in captiuitatem à barbaris rapiuntur, pudet eum ignominiam quam Turci nobis inferunt. Est enim nobilis animus. Non potest mens alto sanguine nata non alta meditari. Nihil turpe ferre potest generosus spiritus. Videt se dono Dei amplissimis & populosissimis regionibus prefectum, multisque beneficijs cumulatam. Non vult ingratus videri. Recognoscit munerata in se diuina esse quàm plurima, vult pro sua facultate vices reddere. Meminit Ioannis

patris

patris sui, quem Turci pugnantes pro fide Catholica captiuarunt. Cupit vlcisci patrum vulnus, imitarique maiorum suorum vestigia, quos pro fide orthodoxa constat fuisse ardentissimos.

Idem Aeneas cum iam esset Pius I. summus Pontifex anno CIO. CCCC. LXI. expeditionem in Turcas parauit, & per acres litteras hortatur dilectum filium, nobilem virum Philippum Ducem Burgundiae, vt voto & promissis satisfaciat, ac in expeditionem contra Turcos, immanemque belluam Mahometem, Christianum sanguinem sine fine sitientem, secum proficiscatur. Ex rumore enim intellexerat nobilitatem eius mutato consilio domi remansuram, & certum numerum bellatorum, qui vicem suppleat, missuram. Pij litteris acceptis, optimus Princeps, ait Barlandus, non distulit quantum potuit militum ex omnibus suis prouincijs conuocare, cum instructo exercitu ipse haud dubie profecturus, nisi partim senio praepeditus, partim aliis implicatus malis, domi manere coactus fuisset. Emisit igitur Antonium notum suum, ingenti animo ac fortitudine virum, qui copias duceret. Is ex Brabantia profectus cum in Gallias venisset, non est ausus longius procedere, propter ostensas sibi litteras, quibus inerat, iussisse Philippum patrem vt interficeretur. Haec litterae, vt postea compertum est, non à patre, cui vnicè charus

H erat,

Epist. 382.

erat, sed ab huius consiliarijs aliquot scriptæ fuerant in gratiam Ludouici Gallorum Regis, cui soli cum Pontifice parum conueniebat. Verum Pontifex progressus Anconam, ibi diem suum obiit, cœptamque morte sua turbauit, infectamque reddidit expeditionem. Hinc legitur in Ducis Epitaphio:

*Studio iuuandi Christiani nominis
Nostras triremes misimus Papæ Pio:
Ductu meo bellum parauit barbaris,
Sed obstitit mors, quæ regnat potens nimis.*

De militia CAROLI AVDACIS.

C A P. L X X I.

xvi. Lotharingie & Brabantie Dux.

PHILIPPO Bono successit anno M. cccc. lxxi. Carolus filius, cognomento Audax & Bellicosus. Gessit enim multa bella: inter quæ maximè memorabilis est tristis in Leodienses expeditio, quam nondum eorum animi decoxerunt; quamque ego ad sacram militiam referre non audeo. Anno tamen M. ccc. lxxv. Infulis post votum patris sui, vouit ipse etiam hoc modo: Promitto Deo creatori meo, diuæ Virginis Mariæ eius matri, nobilibus matronis, ac phasiano, si Dn. paterque meus sacram, ut proposuit, seseque facturum sperat, susceperit expeditionem, eiusque sit voluntatis me comitem proficisci, voueo me iturum, ei que pro virili seruiturum.

Hic